


05

A

398









3  
J. N. D. J. V. E. L. P.

DISPUTATIO PNEVMATICA,  
EX THEOLOGIA NATURALI,  
DE  
INTELLECTU, VO-  
LUNTATE, AC LIBERTA-  
TE DIVINÆ ESSENTIÆ,  
AUXILIANTE DEO TRINUNO,

SUB PRÆSIDIO  
M. ABRAHAMI HENRICI  
DEUTSCHMANNI,  
FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTI  
PUBLICICE DEFENDETUR

A  
RESPONDENTE,  
JOHANN. LANGIO, COR. TRANSILV.  
SS. Theol. & Phil. Studioſo.

D. ~~XXI~~ APRIL. ANNO M. DC. XCII.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
HOR. CONSV. ANTEMER.


---

WITTEMBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.





05 A 398



Gr  
ve  
na  
nu  
Ea  
eq  
Su  
No  
bu  
Li  
pr  
re  
ex  
T  
co







Q. D. V. S. P. B. V.

**R**elata se mutuo ponunt, se mutuo tollunt, est vulgaris Assertio Philosophorum in Prima Philosophia. Qualem hic nostro Instituto non incongrue applicatam volumus. Vita enim & Vita Gradus, Intellectus & Voluntas, huiusque Immediatam Consequens, Libertas, Relatorum nomine veniunt, & Essentia Divina uti Vita, ita & Gradus Eiusdem attribuuntur. Intellectus, Voluntas & Libertas, vel ut *Attributa Mediatam*, ex Vita Fonte surgunt, quæ simul Divinam Perfectionem dant monstratam. Posita ergo Vita DEI, ponuntur Intellectus, Voluntas, & Libertas Essentia Divina; Contra Eadem remotâ, simul *Attributa* sequentia removentur: Non equidem quasi hic Prioritas, vel Posterioritas, fingenda sit, sed Summa in omnibus DEI *Attributis Aternitas* est concedenda. Neque Vita DEI unquam potest sine his vel Gradibus, vel *Actibus* esse. Ubiunque Vita, ibi quoque *Intellectualis Volens, & Libens*. Ordine & Natura, & Doctrina nunc, Materiâ de Vita præmissâ, ad DEUM ulterius sequentia *Essentia Divina Attributa* referemus, eaque in quibusdam *Thesibus*, subiunctis *Artibus*, exponemus. DEUS, INTELLECTUALITATE, VOLUNTATE, LIBERTATEque gaudens, Vires hoc in *Labore* nobis concedat clementissime!



# THESIS I.

*Intellectum DEO* convenire, manifestum est, *DEUS Prima Intelligentia*, & intelligit omnia, communicatque Aliis *Intellectum*, licet modò tali non in iis existat, uti *DEO Proprius esse dici. ur.*

## §. I.

Vox *Intellectus* in sensu *Eminentis* accipienda est, quatenus *Increato Spiritui*, nimirum *DEO*, μονοτέπως, ἐξασπέτως & κατ' ἐξοχὴν appropriatur. In *Thesi* verò *Intellectus Divini* realem *theoriam*, quoad *Quæstionem an sit?* insinuavimus. Nosram *Affirmativam* tuemur sequentibus *Rationibus*: (a) *DEI Appellatione*: *DEUS* ab Antiquissimis *Philosophis* sapius Νῆς appellatus est. *Anaxagoras* referente *Simplicio I. Phys. Comm. XXX. DEUM* nuncupavit *Mentem Infinitam*. Ab Aliis dicitur *Mens Universi* Hanc loquendi consuetudinem etiam imitati sunt *Poete*, ut *Menander in Adelpis* citante *Justin. Mart. lib. de Monarchia DEI*. Cùm verò idem apud *Christianos* extra controversiam positum sit, videmus universalem hanc appellationem omnino non exiguum *Intellectus Divini* Argumentum afferre. (b) *DEI Spiritualitate*: Omnis *Spiritus* est *Intellectualis*; Ergo & *DEUS*, ut *Spiritus Infinitus*. *Intellectualitas* namque *Proprietas Spiritus Generalis*, unde in communi parte *Pneumatica* explicari solet. *B. DN. D. Scharff. lib. I. Cap. III.* inquit: *Denique omnibus Spiritibus conveniunt per se Intellectualitas, Voluntas, & Libertas Arbitrii, &c.* (c) *DEI Viâ*, qualis *conemplativa*, consitens in *Studio speculandi* & inquirendæ *Veritatis*, quam vivunt, qui in investigandis rerum causis sunt occupati; neque tamen eam *Divina Excellentia* in omni sua conditione atque statu considerat, sicut in *Hominibus* datur, cùm ne sic quidem penitus *Perfectionem* sapiat, sed etiam certa *Imperfectio* indicia habeat. Est hic rerum ignotarum & novarum *Observatio*, rerum observatarum *adminio*, *Veritatis* in rebus admirabilibus sive per *Sensum*, sive per *Mentis Discursum inquisitio*. Tales *Imperfectiones* hic removendæ sunt, & *Res ipsa DEO* relinquenda; cùm *DEUS* vivat in perpetua *Contemplatione* non tantum

tum



tum *Sui Ipsius*, sed etiam omnium aliorum *Objectorum Scibilem*. Si ergo in *DEO* perpetua & incessabilis *Contemplatio* omnium *Re-*  
*rum* est, *Isti* quoque *Intellectus* competit. *Vid. B. DN. Klotz. Theol.*  
*Nat. Disp. VI. Thef. X.* Ex quibus *Modi* diversitas inter *Intelle-*  
*ctum Creatoris & Creaturarum* cognoscitur, *cujus & in Thefi* men-  
tionem fecimus.

S. II.

Contra *Existentiam Intellectus* errat potissimum *Vorsius*, *DEO*  
talem *Discursum* tribuens, quò *unum post aliud, & rursus unum pro-*  
*pter aliud esse, aut fieri velit; ac ratiocinando vel in hanc, vel illam*  
*partem quadam colligat. Tract. de DEO pag. 370. & 335. Actum*  
*sciendi, quò DEUS res creatas cognoscit, non esse ipsum DEUM,*  
*contendens. pag. 334.* Hinc *Vorsius Operationes Mentis Divinae di-*  
*versas* facit, pro *diversitate Objectorum*, adeoque *realiter diversus*  
statuit. *Facultatem & Actum Sciendi* sic in *DEO* distinxit. Quæ  
omnia *Existentia Intellectus DEI* repugnant, cum sit *Perfectissimus,*  
& *Simplicitate* gaudeat *eminenti*. Id quod ex *Veterum Sen-*  
*tentiis* unusquisque colliget. Ex *Assertionibus Vorsii* siquidem  
facili modò vel *Imperfectio*, vel *Compositio*, in *DEO* locum quen-  
dam habens, hauriri potest. De quo tamen in *preced. Disp. ne-*  
*gativè* sufficienter *discursum* instituímus. *Vid. Clas. Theol. Nor.*  
*Cap. XXI. pag. 115. seq.* qui alia *Absurda* monstrata, & refutata  
sufficienter dedit.

THESIS II.

*Intellectus Divinus*, quoad *Quæstionem Quid sit?* à *Philosofis*  
jure describitur per *Essentiale DEI Attributum*, per quod *omnia*  
*omnino & singula verè, sine ullo errore & mutabilitate, proprie*  
*que Uno, Eterno, & Simplicissimo Actu simul perfectissimè, certis-*  
*simè, evidentissimè, & distinctissimè in Sua Essentia* introspicit, ac  
*à priori exactissime* scit ac intelligit, *nihil unquam ignorans, ni-*  
*hil more humano successivè addiscens, vel cognoscens, nihilque ob-*  
*liviscens.*



## §. I.

Locò *Indeterminati Conceptus* in presenti *Descriptione* notatur, quòd *Intellectus Divinus* sit *Attributum DEI Essentiale*, quia revera *DEO* competit, & nulli præterea *Entium generi* hoc *Attributum* Commune dicitur. Unde hoc locò *Transcendentale Attributum* intelligitur, quòd *eminentissimo* in *Attributorum Statu* concipi debet. Est *Essentiale DEI Attributum*, quia *Intellectus Divinus Essentie Actus*, & sic esse *DEI* non aliud, quàm *Intelligere DEI*. Ex quo firmiter quoq; concludendum, locò *Determinati Conceptus* jure *Materiale Intellectus Divini* poni, quòd *subjectivè Essentia Divina* vocatur, & *objectivè*, sic *Objectum omnia & singula*, qualia *scit & intelligit*, ita quidem, ut *Intelligentia* respectu *omnium* verè sit *In finita & Immensa*. Istud *Materiale* sequitur *Formale*, multis verbis circumscriptum: (a) Quòd *DEUS* verè, *sine ullo errore*, *sine ulla mutabilitate*, & *proprie omnia & singula intelligat*. *Intellectus Divinus Veritatis Mensura & Regula*, qui *Potentissimus*, *Actuosissimus*, *Omniscius*, *Ordinatisimus*. *DEUS* ergo *sine ullo errore* intelligit. *Idem* quoque in *Se & Sua Natura Immutabilis* est, *propriamque omnium facit Essentiam*, nec non *eandem Suo Intellectui* conformat. Sic & *sine mutabilitate*, & *proprie intelligit*. (b) Quòd *Unò, Eternò, Simplicissimòque Actu*, & *simul perfectissimè*, &c. *omnia & singula intelligat*. *Unus*, non *multus*, *Intellectus Divini Actus*. *Eternus*, non *temporalis Actus*, nunquam *cæpit*, nunquam *desinit*. *Simplicissimus*, non *Compositus Actus*; nulla hîc datur *Potentia*, sed *Purissima Actualitas*. *Simultaneus*, non *Successivus Actus*; *Omnis* hîc negatur *Successio*, *omnis Prioritas*, *omnis Posterioritas*. *Perfectissimus*, non *Imperfectus Actus*, cum nulla in *DEUM* cadat *Imperfectio*. *Certissimus*, non *Incertus*; *Infallibilis* enim *Cognitio DEI* est. *Evidentissimus*, non *Inevitens*. Nulla hîc *Obscuritatis* *Causa*. *Intimus*, non *Extimus*; *DEUS* res ipsas *introspicit*, non verò saltem *extrinsecus adspicit*. *Idem à priori*, non *à posteriori* talis; *Nostri Cognitio* valdè est *mutila*, sed *DEUS à priori singula perspicit*. Imò *Actu*, non *Potentia*, dicitur *intelligere*; Nam *omnia* in *DEO Actus Purissimus* sunt. (c) Quòd



Quòd nihil ignoret, nihil more humano, & successivè cognoscat, vel addiscat, vel nullius rei obliviscatur. Nihil ignorat, à priori, quia *Omni Sciens, Omni Sapiens*. Nihil more humano intelligit, à formalitè, quia *Ipsè DEUS* est. Nihil successivè cognoscit, addiscit, & nullius rei obliviscitur, à posteriori, quia *Ipsè in se, & omnibus suis Attributis & Operationibus Æternus* est. Omnia *Ipsè* notissima sunt. Nulla oblivio apud *DEUM* est, nec ulla esse potest.

§. 11.

*Thomas Part. I. Quæst. XIV. Artic. II.* Dubia movet contra *Thestis* præsentem, asserens I. *Videri DEUM Se non intelligere*. Dicitur *Libr. de Causis*, qui habetur inter *Opera Aristotelis, Proposition. XV.* *Omniem Scientem, qui scit suam Essentiam, redeuntem ad Essentiam suam esse reditione completa*: Sed *DEUS* non exit extra *Essentiam Suam*; Ergo *Ipsè Suam Essentiam sciens* non est. Resp. *Redium* vel considerari *localiter & ad extrinsecum*, quàm *Operationem*, vel *mentaliter & ad intrinsecum*, quàm *Contemplationem*; Dubium valet de priori, non posteriori *Reditu*, qui tamen suo modo *DEO* non denegatur. II. *Intelligere esse quoddam pati & moveri*, ut dicitur in *Libr. III. de Anima Text. XV. & XXIX.* Sed nihil moveretur patitur vel à seipso, secundum *Hilarium Lib. III. de Trin. Cap. I.* Illa verò objectio *Intellectum Phisicum*, non *Hyperphisicum, Finitum*, non *Infinutum, Humanum*, non *Divinum applicatum* vult. De posteriori *Intellectus* consideratione nobis in *Thestis* sermo. III. *Præcipuè DEO similes Homines esse, quàm Intellectum, quia secundum mentem ad Imaginem DEI sunt facti*, uti loquitur *Augustinus Lib. XV. de Trin. Cap. I.* Ergo *DEUS* non intelligit *Se*, nisi fortè intelligendo alia. Hic observamus, *Homines DEO similes in tantum*, non *in totum esse*. Interim à *Similitudine ad Identitatem* argumentari non concessum est. Illud quoque h. l. adjicimus, à *Nonnullis* falsò statui, quoad *Rationem Potentiam Intellectivam, elicivam, effectivam, & receptivam in DEO* locum habere. Id quod defendendum contra *Smising. Tom. I. Tract. III. Diss. XXI. Quæst. I. Numer. XIII. Molinam I. Part. Quæst. XII. Art. IV. Alarcon. de Scient. DEI Cap. I. Recapitulum Tom. II. in I. Part. Lib. I. Quæst.*



*Quaest. II. De quare conf. Jäger. Theol. Nat. Cap. V. de Scient. DEI Art. I. Punct. I. pag. 148. Circa Objectum erravit Durand. de S. Porriano tribuens Aristoteli, negasse omne Eas Creatum Objectum Intellectus Divini jure dici. Contrarium probarunt Fonseca in Com. ad Cap. IX. Lib. XII. Metaph. Aristot. & Glasenius in Theol. Natur. Lib. I. Cap. XXII. pag. 119. seq. Cujus Argumenta adducere hoc loco nolumus, ut brevitati studeamus.*

### THESIS III.

De Modo, quò Intellectus Divinus cognoscat omnia & singula, certum quid statuendum esse judicamus, proque perfectissimo habendum, sicut omnes Philosophi judicant.

#### §. I.

DEUM cognoscere omnia clarissimè, evidentissimè, & certissimè, sufficienter confirmavit Suarez *Disp. XXX. Metaph. Sect. XV. Num. XVII. Modus* ergo, qui *Scientia Divina* tribuitur, *Perfectissimus* est, sive consideretur *intensive*, ratione *absoluta Scientia Divina Perfectionis*; sive *extensive*, quoad *Objectum*. Est quoque *inductivus*, respectu *simplicis Cognitionis*, sive *Cognitio ad Præterita*, sive *Futura*, sive *Composita*, sive *non Composita* dirigatur. *Conf. Scheibl. Lib. II. Metaph. pag. 124. Comprebensivus*, quoad *Scientia Divina adæquationem*, in relatione ad *Objectum cognitum*. Quæ Dicta constant (a) Ex *DEI Immutabilitate*, quæ *Cognitioni Divina* non repugnat, neque per *modum* varium *cognoscendi DEUS Mutabilitatem* quandam admittere potest. Cùm in se *modus eminentissimus* maneat. (b) Ex *DEI Simplicitate*, à qua removemus omnem *Imperfectionem*, qualis in *DEUM* cadere nequit. Sicut enim ipsi *Intellectui* denegatur *Imperfectio*, ita non aliud de *Modo cognoscendi* judicium ferendum. (c) Ex *Purissima DEI Actualitate: Actus Purissimus*, quò *DEUS* omnia *perfectissimè* cognoscit.

#### §. II.

Locò *Antiheseos* adducemus *Modos cognoscendi*, qui approbandi non sunt, si *DEO* tribuantur. Ut *Modus Cognoscendi per Compositionem & Divisionem*, qui gignit *Imperfectionem* in cognoscendo,



scendo, & poscit *Succeffionem* & *Multiplicationem Actuum*. Qualem *Modum* admittunt, qui distincta *Accidentia Enti Infinito* tribuunt, de quibus multoties verba fecimus. *Modus cognoscendi per Discursum*. Quapropter impia est *Assertio Vorstii*, qui *DEO*, citat. *supr. loc. Thef. I. Discursum* tribuere aufus. Neque minùs absurda ante *Vorstium Mairi*, *Quest. XIV. Prologi, Num. IV.* dicentis, *Divinam Scientiam Discursivam* sententia est. *Modus cognoscendi per Scientiam propriè dictam*, sive à priori, sive à posteriori, uti nos eam solemus acquirere; qualem illi applicatam *DEO* volunt, qui *Comparisonem inter DEUM & Creaturas* fingunt, *Ullumque Dependentem* faciunt. Quorum mentionem in præsententi *Disput.* fecimus. Hi quoque peccant, qui, *certò DEUM Futuræ Contingentiæ cognoscere*, in dubium vocant; ut: *Cicero Libr. de Divin. eam Cognitionem* negavit, quasi *incompatibilem cum Hominum Libertate*. Item *Arminiani*. *Vid. D. Osandr. hab. Colleg. Priv. in August. Confess.* Aliorum Sententias nunc ampliùs non adducemus, ne prolixitati videamur studere. *Conf. Klotz. citat. supr. loc. Disp. XII. pag. 696. seqq.* qui de iis exproffesso egit.

## THESIS IV.

*Voluntas Essentiæ Divinæ ENTI INFINITO* tribuenda, quatenus *Vem*, & *Perfectio* est, nec non ea in *Lumine Natura* nobis innotescit.

### §. I.

*Existentiæ Voluntatis Divinæ* vel *absolutè*, *ratione sui*, & *ab intm*, vel *relativè*, *ratione nostri*, & *ab extra*, quæ *Intellectum humanum*, spectatur. *Illa* potissimum à nobis hîc attenditur, & *Affirmativa hujus* confirmatur (a) *Relatione effectus ad Causam*, cum, *juxta Philosophum, in Prima Philosophia, nihil sit in Causato, quin priùs fuerit in Causa*. Jam *Voluntas Causato* tribui solet; Ergo. (b) *Intellectualitatis* accommodatione: *Intellectus Divinus* Comitem sibi *Voluntatem* habet, & ut *Perfectiones* individuò quòdam nexu conjunguntur. *Vid. Thomas Parte I. Quest. XIX. Art. I.* (c) *Perfectionis* insinuatione: *DEUS* omni jure, ut *Ens infinite Perfectum*,

B

quoque



quoque presentem *Perfectionem simpliciter* talem, *Voluntatem* videlicet *Divinam*, possidet. *Conf. Theol. Nat. B. DN. Klotz. Diss. XIII. §. IV. pag. 714.* Cum illa nunc *Voluntatis Divinae Existentiæ Relativam* conjungimus, quatenus *Attributum* istud *Essentiale DEI* à nobis cognoscendum, atque ex *Lumine Rationis* deducendum erit. Id quod colligendum simul ex *generali Attributorum DEI*, ut *Veri Spiritus*, *cognitione*: Quæcunque *Cognitio* enim de *Attributis in genere* prædicatur, illa & *Voluntati Divinae* attribuenda: Atqui *Naturalis Cognitio*; Ergo. *Cætera Argumenta Confirmantia* jam dimittimus.

§. II.

*Thomas Part. I. Quest. XIX. Art. I.* Dubitationes quasdam recenset: I. *Videri, quòd in DEO non sit Voluntas.* *Objectum enim Voluntatis est Finis, & Bonum.* Sed *DEI* non est assignare aliquid in *Finem*; Ergo. Respond. Dist. inter *Finem per se*, & *accidentaliter* talem; de *hoc* valet argumentandi ratio, non verò de *illo*. Potissimum, quia *DEUS* Ipse modò *eminenti & Principium, & Finis* appellatur. II. *Voluntatem esse Appetitum* quendam; *Appetitus* autem *Imperfectionem* designat, qui Deo non competere potest Ad hoc dicimus, *Voluntatem Humanam*, non *Divinam*, esse quendam *Appetitum*. De hac tamen à nobis sermone institui. III. *Secundùm Philosophum, Libr. III. de Anima, Text. LIV. Voluntatem esse motum Motum.* *DEUM* contrà esse *Primum movens Immobile*, ut probat *Idem Libr. II. Phys. Text. XLIX.* Quapropter in *Eo Voluntas* existere nequit. Verùm eadem *Responsio* hòc locò cum *precedenti* conveniens adducenda erit, prout vel *Creaturis communis*, vel *Creatori propria Voluntas est.* De *posteriori* loquimur. *Relativam Existentiæ Voluntatis Divinae Smisingium* in dubium vocasse, monstravit *Paulus Voëtius in Theol. Nat. Reform. Cap. XIII. §. IV. pag. 327. 328.* dicentem: *Difficillimè intelligi, quò modò Libertas Voluntatis cum Immutabilitate stare possit? Quo in loco citatus Vir tria Argumenta* produxit, ut *Sententiam hujus Adversarii* refutaret, quæ alii *Philosophi* comprobaverunt.

THE-



## THESIS V.

*Voluntas Essentiae Divinae* est tale *Attributum*, quò *Omnia, quaecunque DEUS vult*, ab omni *Aeternitate*, à *Se Ipso Uno, Constanti*, nec non ac *Libero Actu*, vult, sicut ipse *Modus volendi* requirit.

### §. I.

Ad *Essentiae Voluntatis Divinae* declarationem accedimus. *In-determinatus Conceptus* iis exprimitur verbis, quòd sit *Attributum*, qui *Conceptus* longè latius patet, quàm *Conceptus Voluntatis Divinae*. Verum vocatur *Attributum Voluntas Divina*, quia non per *Conceptum* mentis, ceu rationis aliquod *Ens*, tantùm affingitur, verùm DEO reverà competere dicitur. *Conceptus* verò *Determinatus* ostenditur nobis per reliqua verba theséos, quæ exposita à B. DN. D. Jacob. Martin. Lib. II. Ex. IV. Thez. XIX. sunt. Notamus autem *objectum & Materiale*, seu *Commune*, expressum per vocabula, *Omnia, quaecunque vult*. Vult autem DEUS tum *Se Ipsum*, tum *Res omnes à Se conditas*. Neutiquam verò *Res, quæ malas*, sed quæ *bonas*; non quæ *impossibiles*, sed quæ *possibiles*; non quæ *Contradictionem & Imperfectionem* involventes, verùm quæ *perfectas*, DEUS vult. Unde *Voluntas Divina Perfectissima* dicitur, quia sese ad *omnia* extendit, quatenus *Bona* sunt. Notanter ab omni *Aeternitate*: (a) Quia *Voluntas* est *Ipsa Essentia Divina*. (b) Quia *Voluntas* est *sibi Constantissima & Immutabilis*. (c) Quia in *Voluntate Divina Essentiae* non datur *prius & posterius*. Et *Formale* seu *Proprium*, quod *Modi Formalis* nomine venit, indicatur his verbis: *DEUM à Se Ipso Uno, Constanti & Libero Actu Velle*: (a) Quia est *Aeternus*. (b) Quia nullam patitur *mutationem*. (c) Quia expers omnis *necessitatis & coactionis*. Hinc non *ab alio Ente*, quia *Ens Primum* est, nec *ab alio Accidente*, quia *Ens Purissimum* est, *Volitionis Suae Actum* accipere potest.

### §. II.

Varia sunt *Opiniones*, quæ hòc locò allegari possunt, quales *Adversarii* nobis objicere audent. Multi *Voluntatem* dicunt *Facultatem*, vel *Potentiam qualitativam*. Cùm tamen in DEUM nullum *Accidens* cadat, Imprimis autem circa *Objectum Voluntatis Divinae*



falsas Calviniani foverunt Sententias, docentes: *Mala Objectum Voluntatis Divinae per accidens esse*. Ex qua sententia colligitur, *DEUM esse causam per accidens Mali*. Verum cum à *DEI Voluntate Malitia Moralis* removeatur, *DEUS* non potest *Mala* velle, siquidem nec deprehendit in *ipsis* positivam aliquam *Entitatem & Bonitatem*, à *Se* productam, vel producendam, quæ moveat, sive alliciat *Voluntatem Ejus* ad volendum. *Smilingius* quoque hic refutandus, concludens: *Si Deus Objectum Primarium suae Voluntatis est, Essentiam quoque Divinam habituram Rationem Finis*; Jam posterius est absurdum; Ergo. Sed triplici modo ad hoc dubium respondit *Paul. Voët. citat. supr. loc. pag. 334.* Quales Responsiones, ut vitemus prolixitatem, non allegabimus.

## THESIS VI.

*Ratione Formali Voluntatis Essentiae Divinae* indicatâ, nunc alia *eidem* subjiciemus. *Rationem Volendi* in *DEO Perfectissimam* esse, sive consideretur *extensivè*, se extendens ad *Omnia Objecta*; sive *intensivè*, quò pacto *Perfectio* imbibitur in omnibus *Attributis Divinis*.

### §. I.

Confirmatam præsentem *Affertionem* damus: (a) Quia *DEUS* vult *Uno Actu*, qui *Simplicissimus*. *Simplicitas*, juxta *Metaphysicos*, meram *Unitatem* involvit. *Vid. Clasenius d. l. Cap. XXIV. p. 133. Armandi de Bell. Vis. Cap. CXLIV. Libr. II. Term.* sententiam insinuabimus, quòd *vox Voluntatis* accipi queat, & prout notat *Voluntatis Objectum*; & prout infert *ipsum Velle*, idque partim per modum *Potentiae*, partim *Actus*. Posterior est retinenda, quâ *Voluntas DEI* nihil aliud, quàm *ipsum Ejus Velle*. Itaq; Comparatio rectè inter *Intellectum & Voluntatem* instituitur, inter quæ *Distinctio Realis* non intercedit. (b) Quia *DEUS* vult *Constanti Actu*; sicut enim *Essentia Divina Constantissima*, ita & *Voluntas Divina Constantissima*. Utraq; dicitur *Immutabilis*. (c) Quia *DEUS* omnia vult *Libero Actu*. *Libertas* verò, quâ *Viam Eminentie*, consideranda venit, ut *Libertas* quoque *Perfectio Virtutis eminentis*, respectu *Voluntatis*, quæ *Indifferentiam DEI* notat ad agendum, & non agendum, se juncta sit ab omni *Necessitate coactionis*. *Libertas Voluntatis Divinae* tum antecedenter,



ter, quia in *Intellectu* est secundum *Radicem*; tum *Originaliter*, in *Voluntate* secundum *Rationem Propriam*; tum *formaliter* consideratur, DEUS hōc modō *liber* & à *Coactione*, & *obligatione*, & *aliis*.

§.II. Quoad *Actum Voluntatis Divinae* illud notatu dignum, eos accusandos esse, qui, DEUM circa *Bona Creatura desiderium* habere posse, dicere nolunt, quod tamen in DEO *impotentiam* obtinendi *Objectum desideratum* non arguit, uti in nobis, quapropter nec *imperfectio* esse dicitur. Negarunt autem id *Cajetanus*, *Bannez*, *Zumel*, *Nazarius*, *Molina*, *Arrubal*, *Fafolus*, *Job.* à *S. Thoma*, *Granadus*, *Tract. VI. de Voluntate*, *Disp. IV. Num. III.* *Ruiz de Montoya*, *Disp. LII. de Volunt. Sect. VI.* Quibus contrariati sunt *Vasquez. I. Parc. Disp. LXXXIV. Cap. I.* *Svarez. Lib. III. de Attrib. Cap. VII. Num. IV.* Consequenter autem hic refutanda *Cartesianorum Opinio*, qui putarunt, *Voluntatem* latius parere *Intellectu Divinō*, adeoque *Voluntati* plus tribuerunt, quàm *Intellectui Divino*. Pluribus contrarium *Gassendus in Instantiis* comprobatum dedit. *Perfectionem* imbibi in omnibus *Attributis*, negarunt illi, qui *Attributa Divina Accidentia* dixerunt, & sic *Voluntatem Divinam* simul pro *Accidente* habuerunt. *Vid. Crellius & Vorstius lib. de DEO, & Attribut. Divin.* De quo alibi à nobis actum est.

### THESIS VII.

*Variae Distinctiones Divinae Voluntatis* existunt, quarum nonnullas adducemus; in *Absolutam* & *Conditionatam*; in *Antecedentem* & *Consequentem*; in *Voluntatem Signi* & *Beneplaciti*; in *Efficientem* & *Permittentem*; in *Naturalem* & *Liberam*.

§.I. Quoad *Voluntatis Divinae Modum*, non autem quā ipsam *Voluntatem*, quæ in se *Una*, tales *Distinctiones* existere dicuntur. *Absoluta* est, quæ DEUS sine *positione* alicujus *Conditionis*, aut *Circumstantiæ* rerum vel *aspectum*, aut *effectum* vult, quæ *simpliciter Immutabilis*, & semper *efficax*. *Conditionata* contra illa vocatur, quæ DEUS Rem non vult, nisi positis certis atque veris *Conditionibus*. *Talis nat' εσω* semper *Immutabilis*, sed *nat' εσω* in *mutabilibus Objectis* & *Effectus*, ut *Mutabilis* & *Inefficax*, existit. Cum illa *Distinctione Voluntatis Divinae* conjungitur sequens inter *Voluntatem Divinam Antecedentem* & *Consequentem*. Illa *Primaria*, hæc *Secundaria* salu-



Mutatur à *Damasceno*, *Lib. II. de Orthod. Fid. Cap. XXIX.* Prior *præcise*, juxta ipsas *Causas*, Rem vult, non habità ratione *Circumstantiarum*; Posterior nonnisi habità ratione *Circumstantiarum* Rem vult. *Voluntas Signi* externà vocatur Denominanatione, in quantum requirit *Beneplacitum Divinum*, & sic per *Habitudinem extrinsecam* ad ipsam *Voluntatem Beneplaciti* respectum habet. *Cujus V. Species* vulgò constituuntur: I. *Præceptum*. II. *Prohibitio*. III. *Permissio*. IV. *Consilium*. V. *Operatio*. *Conf. Klotz. dict. supr. loc. Diss. XIII. pag. 738.* *Voluntas Beneplaciti* secundùm *Thomam*, *Part. I. Quest. XIX. Art. II.* *Internus Actus Voluntas*, vel *Internum Dei Consilium* vocatur. Differt hæc ab illa ut *manifestata* à *manifestante*, *signata* à *signante*. *Voluntas Efficiens*, juxta *Tertullianum*, *Major & Complacens*, est, dum *Causa Prima* mediante *Potentia Divinâ* semper in omnibus *Causis Secundis Bona* non tantum, sed & *benè* vult & operatur. *Permittens*, secundùm *Eundem*, *Minor & Indulgentia*, quæ occupatur circa *Mala*, *Causisque Secundis* competit. *Naturalis*, quâ *DEUS* per *Naturam Se Ipsum*, ceu *Summum Bonum*, *necessariò* velle dicitur. *Libera*, quâ *DEUS* vult *Omnia* extra *Se*, ut eadem de futuro pro *Libertate* posset non velle. Hic *Libertas Exercitii*, non *Specificationis*, in considerationem venit. Hæc de *Distinctionibus Voluntas Divinæ in actu signato* dixisse sufficiant.

§. II. Quâ *Primam Distinctionem* errarunt & *Calvinus*, & *Ejusdem Sectatores*, *Decretum Absolutum* propugnantes. *Vid. Phil. Sobr. B. DN. D. Meisn. Part. I. Sect. IV. Quest. IIX.* Nec admittenda est *Pauli Voëtii* Sententia, qualem in *Theol. Nat. Ref. p. 342.* proposuit: *Voluntatem Divinam in Absolutam & Conditionatam* perperam dividi. Quâ *Secundam*, *Antithesin* antea citatus *Vir in Phil. Sobr. Qu. VI. indicat. loc.* notavit, dicens: *Vehementer exosa est hæc Distinctio Calvinianis, &c. Heereboord. Lib. II. Pnevm. p. 217.* *Negativam* quoque defendit, ut & *Schulerus, Lib. II. Exercit. Philos. LXXXV. p. 167.* Quâ *Tertiam* observamus, licet olim ita *Scholastici* distingvere consueverint *Lib. Sent. Diss. XLV.* atque genuinò sensu explicuerint, eandem quoque *Calvinianos* in alienam significationem detorsisse. *Negativa* à *Nostribus* tenetur. Ut à *Scheibl. Lib. II. Metaph. Cap. III. Num. CCCCXXXIX. Rudnuff. Philos. Theol. Exhib. VII. p. 69.* *Refutantur*



fantantur *Illi* ex *Ratione Recta*, & manifesta *Revelatione Divina*. Cum quibus consentiunt & *Vaer. cit. loc. p. 344.* & *Heereboord. Vol. I. Diss. Select. Diss. XXIV. p. 90.* Quoad *Quartam* errant *Illi*, qui ex *Permittente Voluntate* concludere audent, *DEUM esse Causam Mali*. Sic *Reformati* communiter ad *DEI Permissionem*, tanquam *Causam Lapsus*, respiciunt. Imò censent *Nonnulli*, velle & *permittere Peccatum* propter *Bonum* longè præstantius esse. Sicut *Rhetorf. de Provid. Cap. XX. pag. 286.* contendit. Quæ certè blasphemata Sententia meritò rejicienda. Quoad *Ultimam Opinio Illorum* non procedit, qui dixerunt, *DEUM non liberè, sed necessariò, circa Creaturas operari*. Quæ communis *Ethnicorum* fuit, & ab *illis Fatum Stoicum* introductum esse judicatur.

### THESIS IIX.

*Voluntatis Divinae* immediatè *Ipsa DEI Libertas* adjungitur, quæ discernitur à *Libertate Creaturarum*, prout *Actus Divinus* appellari solet.

§ I. *Libertatem Divinae Essentia* firma *Fundamenta* monstrant: (a) *DEI Causalitas*. *DEUS* *liberas Creaturas* produxit, ergo *Libertatem* *Suam* *Creaturis* exhibuit, sicut *omnis Effectus* testatur de sua *Causa*. (b) *Imperfectiois Negatio*. *Imperfectio* in *Creaturis* reperitur, sed penitus ab *Essentia Divina* exulare deprehenditur. Qualis *Imperfectio* in *Creaturis* *Necessitas*, *Coactio*. *DEO* verò certò modò *Libertas* appropriatur. (c) *Eminentia Via*. *Libertas* enim nobilissimum *Creaturarum* *Donum* & *Bonum*, ea propter longè excellentiori & eminentiori ratione *DEO* tribuenda venit. Ex quo patet, *Dinctionem* inter *Voluntatem DEI*, & *Creaturarum* dari.

§ II. Huc *Opinio* antea citata referenda, nec non *eorum* adversantium, qui dicunt, *DEUM esse Ens Necessarium*, adeoque simul *Eundem Agens Necessarium* vocant. Verùm hîc nulla *Consecutio Majoris* invenitur. *Actiones Liberae DEI* non immediatè pendent ab *Entitate*, sed à *Voluntate*. *Conf. Suarez. Diss. Metaph. XXX. Sect. IX. Num. XXIX.* *Agens Necessarium* & *Liberum* possunt simul in *Relatione* ad unum *Subjctum* pro respectu diversitate stare, quam diversæ *Formalitates* nobis ob oculos ponunt. *Bellarminus* cum *Aliis Lutherò* & *Lutheranis* affingit, quòd *DEO Libertatem* denegarit,  
Libr.



Libr. III. de Grat. & Lib. Arbitr. C. XV. XVI. XVII. De qua re contro-  
versa agunt Theologi. Vid. DN. PARENTIS Theol. Positivo Polem  
Tract. II. de Andropologia in genere. Diss. de Libero arbitrio, Theol. II.

### THESIS IX.

*Libertas Essentia Divina est Attributum, quò Essentia Divina non tantum in Se, sed etiam in Suis Operationibus est Liberrima.*

§. I. *Attributum Ea nominatur, quia est vera in DEO Excellentia, non quidem adventitia & extrinseca, sed Entitativa & Transcendentalis, unde Essentiale DEI Attributum vocanda venit. Porro & Materiale & Formale huic Attributo applicamus. Illud Ipsa Essentia Divina. Sicut enim in omnibus Attributis hæc unicè est Materiale, ita & nos hoc locò aliud afferre nec possumus, nec debemus. Hoc exprimitur reliquis verbis, quòd in Se Essentia Libera sit, quoniam Attributum DEI Essentiale; & quòd in omnibus suis Operationibus sit liberrima, quia Operationes ipsam imitantur Naturam, & tales sunt Operationes, quales oriuntur ab ipsa Essentia, quæ ut est libera, ita etiam non nisi liberas Operationes admittit. Secundum hanc Libertatem Deus in agendo ad extra summè indifferens est. Vid. Excell. DN. Prof. DONATI Inst. Pnev. loc. supr. add. Cap. XIII. §. LXII p. 250.*

§. II. *Contra Formalem Rationem Vorstius Tractat. de DEO p. 348. pugnavit, stans: DEUM non ex naturali impetu, aut necessario aliquo motu, sed ex Accidente deliberatione, quæ non nisi inter plura Opposita insitui potest, hæc potius, quàm illa, & sic potius, quàm aliter velit. Hæc deliberatio cum diavolæ ac transitu à Potentia in Actum DEO, Infinito Enti, competere nequit. Vorstius ergo Voluntatem DEI Liberam Contingentem, & quasi Accidentalem, facit, id quod improbandum. Eandem Mutabilem vocat p. 366. Sed sibi ipsi non satis constat, quod probari facili negotiò potest ex verbis pag. præced. eod. loc. citatis. Ut de Calvinianorum Opinionibus nullum iudicium feramus. Conf. System. B. DN. D. CALOVII Tom. II. Cap. IX. p. 457. Hic & illi nobis contradicunt, qui DEUM Liberò Arbitriò non pollere volunt, ut Averroës, Porphyrius, & Avicenna. De quo vid. Theol. Nat. DN. Jäger. dist. loc. Cap. VI. Art. II. Punct. pag. 212. Ubi plura de hac re relata leguntur.*

DEO, INTELLECTU, VOLUNTATE, ATQUE LIBERTATE  
GAUDENTI, SIT GLORIA IN PERPETUUM!



05 A 390

ULB Halle  
004 210 522

3




V317











J. N. D. J. V. E. L. P.

DISPUTATIO PNEVMATICA,  
EX THEOLOGIA NATURALI,  
DE  
INTELLECTU, VO-  
LUNTATE, AC LIBERTA-  
TE DIVINÆ ESSENTIÆ,  
AUXILIANTE DEO TRINUNO,  
SUB PRÆSIDIO  
M. ABRAHAMI HENRICI  
DEUTSCHMANNI,  
FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTI  
PUBLICE DEFENDATUR  
A  
RESPONDENTE,  
JOHANN. LANGIO, COR. TRANSILV.  
SS. Theol. & Phil. Studiofo.  
D. ~~XXI~~ APRIL. ANNO M. DC. XCII.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
HOR. CONSV. ANTEMER.

WITTEMBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.